



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 126. Judæorum cædes

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

concitabantur, ut una omnes in miserum ^{Sæcul. XVI.}
 irruentes, illum extra Ecclesiam raptatum A.C. 1506.
 crebris fustibus tunderent, ejusque corpus in media platea igni traderent. Plebe jamjam in furorem acta, insaniam augebat quidam Monachus e claustro suo erumpens, cujus hortatu populus in Judæos acrius incendebatur, nilque nisi undique tumultantium voces audiebantur, ac brevi tota gens ad seditionem concitabatur.

§. CXXVI.

Judæorum cædes.

Hujus Monachi oratione, velut classico, ^{Marian. ib.}
 plebs ad cædem convocata fuit, & magis, magisque animata in Judæorum recens baptizatorum domus toto impetu irruit: mox erumpebant alii, qui hosce infelices trucidarunt, ac promiscua cæde viros, foeminas, atque infantes, nec ætati, nec sexui parcentes jugularunt, demumque illorum ædes deprædati sunt. Duo quoque Monachi Crucem velut vexillum seditiosis præferebant; hæcque laniena solidum triduum tenebat, ac referunt Scriptorum nonnulli, plusquam duo millia Hæbreorum, potissimam partem innocentes, hunc in modum periisse, quos inter non pauci etiam, qui jamjam Christianæ fidei nomen dederant, aut

Sæcul. XVI. aut errore, aut ex illorum vindicta occi-
A.C. 1506. si sunt, qui hac occasione freti, inimico-
 rum suorum sanguine crudelitatem fa-
 tiabant. Rex comperto suorum tumultu vehementissime commotus, rem penitius inquiri præcepit, unde duo illi Monachi extremo supplicio multati, ac combusti sunt, eorumque cineres in aerem projecti; ceteri vero, quos gravior culpa reos fecerat, easdem poenas dederunt.

§. CXXVII.

Flandri Cæsarem Belgii Rectorem agnoscere renuentes.

Bonacurs. in Diariis Maximilianus vix comperto Filii sui Archiducis obitu, quantocius in Flandriam contendit, ut Belgii administrationem susciperet, donec Carolus Archidux, nonnisi sex annos natus, ad legitimam ætatem perveniret. Verum Flandri, quibus satis comperta erat Cæsaris indoles, primo sese illi subicere tergiversabantur, tamque vehementer obstitabantur, ne pueri Principis Tutor, ac Belgii Rector esset, ut Pontifex, qui Cæsarem in Italiam venire, ac sese Gallorum motibus adversus Venetos opponere desiderabat, ob Belgici tumultus metum fere omni spe sua excidisset, nisi Genuensium seditio animum ei reddidisset.

§. CXXVIII.